

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0478

0476

0482

0472

0487

0467

0527

0427

0577

0377

0977

464

duobus lapidibus de torrente fortiter collisit ad invicem ignem-
que provocans igne incendit, et collectis sarmentis ignem
magnum fecimus et circumstantes membra fovimus. Cogitavi
quod Arabs ille artem illam educendi ignem de silicibus didi-
cerit a Promotheo, filio Lapethi ex Asia et nympa matre,
qui aevo suo, ut poetae referunt, erat vir prudentissimus et
praeter hoc, quod de luto figmentum hominis formatum igne
de coelo furato animavit, primus de silicibus ignem provocan-
dum esse docuit. Nam tum ignoratum fuit, ignem latere sub
frigidis silicibus. Porro Vulco dicitur primus ignem invenisse;
cum enim fulmine arbor quaedam incensa fuisset, ex eo aliae
arbores succensae, omnia conflagrata sunt ligna. Vulco autem
calore delectatus deficiente igne materiam adjecit, conservans
ignem, quem hominibus ostendens tamquam a se repertum in
totum per hoc promeruit, ut rex Aegypti constitutus sit.

Cum ergo refocillati calore essemus, titiones accepimus
ignitos et processimus sursum in illa crepidine, in qua non-
numquam erant saltus et petrarum parietes, per quos Arabes
primo scandebant et inde sursum unum peregrinum post alium
trahebant. Cogitavi aliquotiens illo mane, quam mirabilis
Deus; heri prae caloribus vix poteramus spirare et hodie prae
frigoribus vix poteramus vivere. Quanto enim altius ascendi-
mus, tanto intensius frigus sensimus. Interea ad fontem
quendam venimus, juxta quem iterum ignem accendimus, (48a)
et iam de ignis calore laetabamur, sicut heri ibi de aquae fri-
gore recreabamur. Calefactis nobis iterum processimus per
arduum saltum adscendendo ad longum spatium. In alto autem
venimus ad unius magnae rupis parietem et de sublimitate
illius parietis destillabat aqua clara et bona, nobis tamen fa-
stidiosa, quia adhuc mane erat et frigore non mediocriter
laboravimus. Destillabat autem aqua illa in concavitatem
quandam rupis et quasi quandam piscinam faciebat. Juxta
illam piscinam iterum ignem accendimus et nos calore
refecimus; tantum enim frigus fuit, ut, si ignem non ha-
buissemus, defecissemus prae algore. In ulteriori processu
venimus adscendo de locis petrosis in clivum, praecipitem
quidem sed planum, id est, sine rupibus et sine arbustis,
et erat ille clivus graminosus, quasi pratum. Nobis itaque

Ende

Anfang